



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

92. An Beneficiarij possint valide, & licite testari ratione consuetudinis, vt  
est in Gallia, & Hispania? Et an si valide possint testari, non tamen licite in  
prophanos vusus, & ideo hæres, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

etiam mercatoribus castra sequentibus, item laniis, victoribus, licet in matricula descripti non sint modo in loco hostili versentur. Ita ex Grasso, & Gilkenio Hunnius, ubi supra, n. 8.

## RESOL. XC.

An Doctores gaudeant in conscribendis testamentis Privilegio militum?

Et an Aduocati actu legentes, vel patrocinantes in ordinandis testamentis gaudeant illis Privilegiis, quae militibus sunt concessa? Ex p. 7. tr. 6. Ref. 65. alias 64.

§. 1. AD hoc dubium sic respondet Ioannes Halbriterus in *Oratione de Privilegiis Doctorum*, fol. 40. Magni etiam momenti Privilegium est, quod Doctoribus competit in Testamenti factione, de quo varia quidem, & difficilis est interpretum discretio, dum controuertunt: vtrum privilegia militi testanti concessa conueniant etiam Doctoribus? Quia in parte communem distinctionem approbo, quam etiam sequitur Lanellotus Galiaula in *l. centurio*, n. 23. *Dig. de vulg. & pupil.* & acutissimus Bolognet. *ibid.* n. 14. & seqq. Interest enim num Privilegium aliquod militi propter imperitiam iuris, quae militi circa expeditionem inesse creditur, datum sit, veluti: Privilegium, & Facultas sine solemnitatibus, & apicibus iuris testandi quod militi idcirco indultum est, quia miles ignorare testamentum necessaria, l. 1. in verbis simplicitati, &c. *Dig. de milit. test. l. quamquam*, cod. *cod. l. unctal. 7. in fin. cod. de inst. & subst.* Hoc itaque privilegio, sine solemnitatibus iuris testandi militibus propter simplicitatem, & iuris ignorantiam indulto, Doctores non vtuntur. Quia ratio ignorantiae legum non militat in Doctore, cui turpe est ignorare leges, in quibus versatur, l. 2. s. *Seru. Sulpitius Dig. de orig. iur.* Bolognet. Galiaula supra alleg. *Ferd. Valq. de test. potentia* §. 24. n. 106.

2. Quae autem privilegia Militibus, non propter iuris imperitiam, sed propter dignitatem Militiae, vel utilitatem Reipublicae, quam militando hauriunt, vel, vt alij multi ad subeundum castra eiusmodi Privilegiis, tanquam praemii inuitentur, haec cum Authoribus modò adductis, existimo etiam Doctoribus competere: Nam & Doctores in dignitate, & quidem maiore quam Milites constituti sunt, & dicuntur militando vtilem Reipublicae nauare operam, l. *Aduocati*, cod. *de Aduocat. diue. s. iud.* & cum ipsi defendant clientulos, & Republicam scientia, labore, & allegationibus, sicut Milites corpore suo defendunt Reipublicam: publica utilitas aequaliter versetur in Doctoribus, vt in militibus, d. l. *Aduocati*.

3. In numero autem horum privilegiorum est, quod miles mortuus & surdus, vel damnatus ex delicto militari, vel etiam filius familias testari possit, l. *fin. cod. de inoff. test.* Sic etiam eiusmodi privilegiis annumerandum est: quod Miles possit instituire heredem deportatum, & alios omnes, qui testamenti factione passiva carere dicuntur, l. *neque §. si deportati*, *Dig. de test. mil.* Item quod Miles non possit relinquere mulieri, in qua sit turpis suspicio. Nam haec, & similia Privilegia, eum non attributa sint militi propter iuris imperitiam, sed propter publicam utilitatem, quae per milites in acie versantes promouetur: eaque ratio etiam in Doctoribus locum sibi vendicet, per d. l. *Aduocati*, & per d. l. *fin. cod. de inoff. test.* cum Galiaula, Alexandro Bologneti, aliisque communiter, ita concludentibus sentendum est, quod Doctoribus etiam haec privilegia competant.

4. Quamobrem Doctoris gradu insignitus, etiam publico iudicio damnatus, vel filius familias testari,

deportatum, vel alium quemuis incapacem heredem instituire, non tamen concubinam, de qua turpis est suspicio, relinquere poterit. Hucusque Halbriterus, cui etiam adheret Grassus *tr. de success. §. testamentum*, 94. Zafius in *l. milites. Dig. de re iudic. afferentes Aduocatos actu legentes, vel patrocinantes, in ordinandis testamentis gaudere illis privilegiis, quae militibus, non respectu simplicitatis, & ignorantiae, sed ratione patrocinatae, & meritum sunt concessa; licet hoc neget Corafius in *leg. precibus. cod. de impub. & aliis subst.* Sed Halbriteri & aliorum sententia mihi placet, quam etiam nouissimè ed Limnao docet Vvalter. in *11. iuridico Politico de Privilegiis Doctorum* c. 16. q. 68. §. 111.*



## De ceteris aliis communibus, &amp; ordinariis Testamentis.

## RESOL. XCI.

An Clericus, vel Episcopus possit licite testari in fine mortis in usus non pios, si habeat licentiam disponendi in quoscunque usus voluerit? Exp. 5. tr. 3. Ref. 125.

§. 1. AD hunc casum ita respondet Malderus in *2. tract. 1. cap. 11. dub. 3.* etiam si Papa dicit se dare facultatem disponendi de bonis Ecclesiasticis ad quoscunque usus, non intelligit tamen alios, quam pios usus, nisi deserat addat etiam in profanos; & etiam si Pontifex concedat facultatem testandi Clerico, aut Episcopo in diuites cognatos sine pietatis intuitu, hoc non erit accipiendum, nisi quoad forum exterius. Ita Malderus.

2. Sed Molina de *Iust. tom. 2. tract. 2. disp. 147. num. 13.* docet fas esse Summo Pontifici ex rationabili causa concedere beneficiis etiam Episcopis facultatem testandi ad usus profanos, vt si quasi in remunerationem pro munere optimè administrato, aut propter obsequium aliud Ecclesiae impensum, id moderatè attentis circumstantiis concurrentibus concederet, aut aliqua alia iusta de causa. Probat, quoniam habet plenissimam potestatem, non quidem ad dissipandum, sed ad dispensandum eiusmodi bona, atque ad eò ex legitima causa, quae in bonum & edificationem ecclesiae Ecclesiae, poterit id concedere. Ita Molina; qui etiam n. 35. licet doceat quòd esto facultas concedatur testandi ad quoscunque usus, si non exprimitur, ad profanos; intelligentia est solum de non profanis, tamen id solum credit esse verum, quando nulla apparet legitima ratio concedendi eam ad usus profanos, aut aliunde res est dubia.

## RESOL. XCII.

An beneficiarius possit valide, & licite testari ratione consuetudinis, vt est in Gallia, & Hispania?

Et an si valide possit testari, non tamen licite in profanos usus, & ideo haeres, quomodo cumque sit haeres, qui hoc modo hereditatem accepit, non peccet, nisi forte induxerit Clericum ad huiusmodi testamentum faciendum; quia inducens eum ad peccandum peccat, nec tenetur hereditatem restituere?

Et an supradictum testamentum sit saltem inualidum, si careat solemnitatibus iuris?

Idem est de testamento pro ingressu Religionis quòd quis potest testari non seruata solemnitate iuris. Ex p. 10. tr. 15. Misc. 5. Ref. 10.

§. 1. PRIMA opinio docet tale testamentum esse nullum, & illicitum, & ita docet mordicus Henricus



Valentino, Aragoniæ, & Cathalonix, & aliis ex consuetudine approbata testari possunt, & si forte decedat intestatus, succedunt in eius bonis illius propinqui, ac si esset Laicus. Potest ergo testari Clericus in Hispania de fructibus beneficii ad pias causas, imò ad profanas, peccabit tamen, at dispositio valida est, nam ut diximus supra agentes de dominio, cap. 2. dub. 6. Clerici sunt domini fructuum suorum beneficiorum. Quare quamvis peccent bona beneficii prodigendo, vel ditando suos amicos vel cognatos, alienatio tamen valida est. Ac proinde hæres, qui hoc modo hereditatem accipit, non peccat nisi forte induxerit Clericum ad huiusmodi testamentum conficiendum, inducens enim ad peccandum, peccat, nec tenetur hereditatem restituere, quia obligatio Clerici erat personalis, & ex alia parte valide donat, donatio namque, vel dispositio quamvis illicita, non tamen iniusta est. Ita ille, cui adde nouissimè Patrem Martinum de San Ioseph, in *Mon. Concess. tom. 1. lib. 2. tract. 11. de test. num. 1. §. 2.* & sic asserens. [En resolucion pueden en España los Clerigos testar valida, y licitamente de los bienes beneficiarios ad pias causas, y si disponen dellos ad prophanas causas valdrá el testamento, aunque peccaran mortalmente. Però es de advertir, que los parientes, y amigos à quien mandó el Clerigo ilicitamente su hacienda no pecan en recibirla, porque aunque pecó el Clerigo contra la caridad, no pecó contra iustitia, y su obligacion era personal; y pudo donar validamente, entendiéndose que no pecan los parientes; y amigos sino es que aconsejen, ò persuadan al Clerigo à que teste de su hazienda profanamente, porque en este caso claro es que pecan induziendole à que peque es sententia comun.] Vnde ego his diebus contulit parentes cuiusdam Episcopi non peccare mortaliter recipiendo ab ipso in magna quantitate pecunias, & alia bona, quia nihil ipsi ab Episcopo posscebant.

Sup. hoc supra in §. Terribilius Ref. ad medium, & in Ref. eius not.

Sup. sequentibus in hoc §. supra in §. Ex dictis. in §. 1. not. huius Ref.

6. Sed si aliquis hinc obiter inquirat, an testamentum supradictum sit saltem inualidum, si careat solemnitatibus iuris, & affirmatiuè respondet Dicastillus *vbi supra, sub. 13. n. 240* vbi sic ait: Vtrum autem ingressus Religionem possit testari non seruata iuris solemnitate? Ex dictis videtur affirmandam, & affirmat *Sà, ver. b. testam. 21.* qui idem sentit de Clerico, & quidem iste non tenetur legibus ciuilibus. Cumque iuxta dicta in superioribus de eius testamento indicandum sit in foro Ecclesiastico, tantum videtur seruanda solemnitates fori Ecclesiastici atque adeò sine solemnitatibus iuris ciuilibus positui valebit. Ita ille. Sed de hac questione alibi à nobis plura dicta sunt.

Sup. his duabus diffic. concenens in hoc §. late in tom. 7. tr. 1. Ref. 167. §. 1. 2. & 3. & p. o parte in Ref. & §. not. seq.

Alibi in Ref. quæ hic est infra 94. §. 1. in fine, & seq.

## RESOL. XCIII.

An Commendarij D. Iacobi, Calatravae, Alcantarae, de Auis, &c. morituri possint testari de fructibus Commendarum in usus non pios?  
Et quid de Commendariis D. Ioannis? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 129.

Sup. hoc in to. 7. tr. 1. ex doct. ina Ref. 55. §. 1. cursum ad medium vers. licet in morte.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Mota *de consir. Ord. D. Iacobi lib. 2. c. 2. §. 26. n. 21* Nauarr. *comm. 2. de Regul. n. 56.* & Azorius *1. 1. lib. 13. c. 4. qu. 8. §. c. 5. qu. 2.* quia dicti Equites non sunt veri domini, siue patrimonialium, quocumque tempore acquisitorum, siue reddituum Commendarum ratione voti perpetuati, hæc sententia est nimis rigida.

2. Et ideo cum Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 7. c. 8. n. 10.* puto supradictos Equites posse quoque liberè testari non minus, quam alios seculares, tam de bonis patrimonialibus, quam etiam de redditibus harum Commendarum constat ex dictis *num. preced.* sic enim rece-

ptissima consuetudo apud eos obtinuit, & quamuis olim testari non poterant: at Innoc. VIII. & Clem. VII. in hoc dispensarunt. Nec obstat Pium V. reuocasse licentias his concessas ad testandum, quia bene Molina Societatis Iesv, & Manuel statim allegandi, eum Motum proprium receptum non esse quoad alios Commendatarios, praterquam D. Ioannis, nec Pium V. reuocasse simpliciter facultatem testandi, sed eandem dumtaxat, quæ à priuilegijs Apostolicis dimanabat, quare permanet facultas, quam ex consuetudine antiquissima testandi habent, & insuper ad maiorem securitatem Greg. XIII. reuocauit motum proprium Pij V. concedens illam facultatem testandi iuxta pristinam eorum consuetudinem, & de bonis patrimonialibus hoc verum esse docet Molina *de primog. lib. 2. c. 9. n. 69.* licet dubitet quoad redditus Commendarum. Sed tunc sententiam Sanchez, qui etiam, & optimè, addit posse hos Commendatarios de vtriusque bonis maiortum instituire, non secus ac alios seculares, & post hæc scripta inueni nostram sententiam docere etiam Villalobos *in sum. 1. 2. tr. 1. diff. 10. n. 13.* vbi sic ait, [Los Comendadores que se pueden calar, como son los de Santiago, Calatrava, y Alcantara son señores de sus bienes, y pueden testar dellos; mas los Comendadores de san Iuan no pueden testar, conforme à vn motu proprio de Pio V.] Sic ille.

## RESOL. XCIV.

An filius familias Clericus, si moriatur possit testari de bonis aduentitijs, etiam ante Clericatum acquisitis?  
Et an Clerici possint testari de fructibus beneficiorum ad usus non pios?  
Et an peccent mortaliter, si de notabili quantitate ad usus non pios testentur? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 124.

§. 1. Conueniunt communiter DD. quòd filius legitimus, si fiat Clericus per primam Tonsum, aut ut certius alij, per Ordines saltem minores, quamuis adhuc maneat in patria potestate, possit testari etiam sine consensu patris de bonis aduentitijs, etiam ante clericatum acquisitis; & que apertis textus, *Aubert. Presbyteros, Cod. de Episcopis & Clericis 11.* Debent tamen eiusmodi Clerici ascendentibus relinquere legitimam, quoad alia æquiparantur ipsorum aduentitia quasi castrensibus, de quo videtur licet Panormitanum *in cap. quia nos, de testamentis.* Non tamen absoluntur à solemnitatibus iuris communis, *Instit. de militari testamento, §. sciendum tamen.* Filii familias miles testari potest de eo, quod in castris acquisiuit, quod extenditur etiam ad veteranam, siue dimissum à militia, instituto eodem, & hæc omnia docet Malderus *in 2. 2. tract. 1. cap. 11. dub. 3.* qui etiam *dub. 6.* quod est valde notandum docet seculis consuetudine Clericos eo ipso, quòd gaudent priuilegio fortitudinis, esse validum, licet non admittant solemnitates iuris ciuilibus.

2. Notandum est tamen hinc quòd in aliquibus Regnis Clerici, possunt testari etiam de fructibus beneficiorum ad usus non pios, tamen hoc procedit in foro exteriori: secus autem in conscientia; & ideo hinc non desinat apponere aliquas conclusiones, quas circa prædictum dubium docet Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 1. c. 11. diff. 12. num. 3. & seq.* vbi sic ait. [De consuetudine pueden los Clerigos hazer testamento de la dicha renta, la qual costumbre es muy antigua en estos Reynos; de fuerte, que en todos sus bienes, aunque sean de rentas Ecclesiasticas, se succeda ex testamento y ab intestato como en los otros bienes, que ellos tuieren. Peca pero mortalmente el beneficiado, que de los bienes